



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Cap. III. Quis possit donare?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Qualvis, inquam, aliqui sic censent, tamen idem Sanch. l. 8. *matr. d. 6. n. 9. & l. 1. Confli. c. 6. d. 2.* cui addit Dianam p. 8. *tr. 6. ref. 120.* denique concludit, totum hoc prudentis arbitrio esse relinquendum, atque praesertim qualitate donantis; plus enim solent, ac debent Principes retribuere, quam Plebei, vel Religiosi, &c. Quod autem Religiosi, & Religioni infir etiam debitum gratitudinis, ut iuxta suam vivendi rationem debeant, sed moderate, benefactoribus retribuere, ipsum lumen naturale manifestat.

Discrimina inter Donationem conditionalem, & inter Donationem in diem.

6. Dico tertio: Est laicum discrimen inter donationem conditionalem, & inter donationem in diem certum: Si enim sic dicas per donationem conditionatam: *Dono tibi equum, si moriar*, cum hac conditio sit necessaria, verificatur etiam nunc: Quare ex nunc debes mihi equum tradere. Si vero sic dicas sine conditione: *Dono equum, quando morier*, debebo expectare tuam mortem, ut mihi tradatur equus. Ita Mol. d. 81. n. 4. & de 205. & 284. apud quem alia pertinentia ad has donationes in diem certum, vel incertum invenies.

Discrimina inter Donationes causa mortis, & inter vivos.

7. Dico quarto: Sunt denique discrimina non pauca inter donationem inter vivos, & donationem causa mortis, quae late prosecutur. Oñate, l. c. d. 1. & Vad. *gu. de contr. d. 3. d. 9.* Illud autem est potissimum, nam donatio causa mortis proprie accepta, potest semper revocari; est enim iuxta testamenti, vel legati, numeraturque inter ultimas voluntates; At donatio inter vivos, proprie item accepta, rebus immutatis (de qua mutatione mox c. 8.) revocari non potest.

8. Dixi (proprie accepta) nam, si donatio causa mortis sumatur pro qualibet donatione praesenti, facta ob periculum mortis, quae tamen transferat, ex voluntate donantis, dominium, ante ipsam mortem donantis, iam haec non erit essentialiter donatio causa mortis, ut patet ex eius natura, quam explicui §. 1. *num. 4. & 5.* sed desinet in donationem inter vivos. Sicut etiam, si donatio inter vivos ita fiat, ut addatur clausula, quae possit revocari, quando voluerit donator, atque adeo semper, ante suam mortem, iam haec non erit essentialiter donatio inter vivos, ut patet item ex eius natura, quam explicui *ibidem*, sed degenerabit in donationem causa mortis.

9. Quod autem donatio propria, causa mortis, sit numeranda inter ultimas voluntates, & non sit proprie contractus, inter vivos, inde probat, & merito Oñate, *ibid. d. 3. l. 1. num. 8.* quia ipsa habet omnia signa ultimarum voluntatum; habet enim, inquit, Primum, voluntatem deambulatoriam (qua scilicet semper ante mortem potest per meram voluntatem donantis revocari) Secundum, requirit quinque testes. Tertium, insinuatione non indiget. Quartum, sit plene inter absentes. Quintum, plures, qui contrahere non possunt, possunt mortis causa donare. Sextum, denique confirmatur morte donantis, non autem antea.

10. Si donatione causa mortis adiungatur iuramentum, quod donans promittit, illam non revocare, vel (quod in casu saltem nostro idem moraliter est) quod donans promittat cum iuramento, illam adimplere. Oñate *ibid. l. c. d. 8.* docet, revocari eam propter Religionem iuramenti amplius non posse, sed tunc degenerare à proprie dicta donatione casu mortis, & fieri donationem inter vivos. Verum, de hoc iuramento non revocandi testamentum, & consequenter donationem causa mortis, vide quae nos l. 3. in *dec. c. 3. §. 5. n. 39.* diximus, & quae dicemus *inf. c. 4. §. 4.* in simili.

11. De donatione causa mortis innumeri Iurisperiti late disputant, innumerique Theologi, quorum praecipuos citatos habes praeter Oñaten *loc. cit.* & Molinam,

à *disp. 287.* apud Dianam p. 8. *tr. 6. ref. 67. & seq. ubi de hac dispositione difficultates percurramus.*

• *Donatio, non subsistente causa ipsa.*

Vbi:

De simili Eleemosyna, vel Legato.

12. An donatio facta ob aliquam causam, et non subsistente, sit valida?

Respondit, necessarium esse distinguere: Donatio enim per errorem facta, quando error cadit in substantialia, est nulla, est autem valida, quando in accidentalia, quia ibi non subsistit causa donandi, quare, re donatio ab illa dependens: hic vero substat. Et manifestior est, quia, non persistente causa cadente in substantialia, donans merito iudicatur, nequaquam persistere in sua dispositione: at vero non persistente causa cadente in accidentalia, quia sic levis est mutatio, eadem dispositione merito persistere iudicatur. Vide quae simili dixi de *Promissione*, cap. 4. *num. 8.*

13. Illud diligenter advertendum, hic nemine substantialium intelligi omnes illas causas, quae sunt materiae donationis, hoc est, quae, si cognite fuissent non cadit, facta non fuisset donatio: Accidentalia vero sunt causa tantum impulsiva, id est, quibus cognititis non aliter adhuc facta donatio fuisset.

Haec breviter innuisse si sufficiat: nam multa de hoc argumento ego dixi, l. 3. in *Dial. cap. 3. §. 5. n. 22. in iuram. & ibid. cap. 13. ubi de rei. Vide Dianam p. 8. tr. 6. ref. 89.*

14. Non subsistente paupertate, si caritate, insinuatione, an donatarius obligetur restituere ea, quae donanda principaliter in otus fuit donans ab his causis, *dec. item l. 7. in Dec. cap. 3. §. 2. n. 4.* & facit, quod *ibid. d. 1. §. 2. n. 6.* ut etiam alibi de oculis de horata, si aliquis accipiat ex causa Virginitatis.

15. In dubio de animo donantis, an causa donandi fuerit motiva, an impulsiva? Restituitur dum pro rebus ubi puto.

CAPVT III.

Quis possit donare?

Donare it possunt, qui legitime sub suo dominio, vel libera administratione rem donandam habent. Dubitatur autem de aliquibus, de quibus ego alibi per alias occasiones disputavi, quorum loca, in gratiam Lectoris, indicabo *infra, cap. ult.*

Alia igitur, quae supersunt, hic in propria sede tractationem merito exposcent, & ego breviter discussis propinabo.

§. I. *Quadam Classes Personarum quid, & quatenus donare possint?*

REGES, ET PRINCIPES.

1. Reges, & Principes donare quidem, & remitti de suis propriis bonis libere possunt. Verum, de bonis Coronae quae se habent, ut bona vincularia, & ipsi data, ad bonam administrationem, & defensionem Regni, non possunt profuse donare in damnum fidei forum: nam propterea iidem successores possunt revocare has nimis exorbitantes donationes ex praedictis bonis factas: quod minutius, multis adductis Decretis habet Diana, p. 8. *tr. 6. ref. 18. ibid. ref. 122. & 123.* quod etiam habes donationem remperatorem Principis non immoderatam, cum transeat in contractum, revocari non posse, eandemque multis gaudere Privilegiis.

2. Illud in his dubitari solet, An, si dicti Reges, ac Principes inveniuntur esse alieno gravati, possint nihilominus donationes liberales, vel remuneratorias facere.

Respondeo, posse, sed certe limitatius. Sicut enim tunc possunt expendere ea, quæ sunt ad suum decentem statum necessaria, ita & ad has liberales, sed moderatas donationes, quæ ad eius decentiam sine dubio pertinent, cum non possint (ait Delugo d. 23. de Inst. n. 148.) Regia Dignitas sine liberalitatis exercitio decenter sustineri.

3. Ex qua doctrina collige idem cum proportionem sentendum de aliis Principibus Sæcularibus, immo, & proportionaliter de Ecclesiasticis, aliisque similibus, ii enim eas donationes sive merè liberales, sive remuneratorias facere possunt, quæ omnibus à viro prudenti expensis iudicantur pertinere ad ipsorum statum decentem, ita nimirum, ut viles notabiliter haberentur, ni eas facerent: quare, si moderate, modo dicto, sint, ut esse certè omnino debent, ad congruam eorundem sustentationem revocantur.

§. II. Rectores Civitatum, seu Universitatum.

1. Non solum possunt expendere necessaria ad publicam utilitatem, ut ad conducendum Medicum, Advocatum, Magistrum Artium, ad fabricandum carcerem, ad Pontes necessarios construendos, vias accommodandas, ad procurandam annonam, &c. Verum etiam ad moderatas, iuxta quantitatem bonorum civitatis, donationes remuneratorias, immo ad moderatas item, & liberales, conducentes ad bonum Universitatis, qualis est elemosyna, & ad ludos, publicæ recreationis gratiâ, exhibendos, dummodo à necessariis, & à debitis solvendis notabile quid non adimatur. Lege Sachin. in consil. l. 1. c. 6. d. 8. & Delugo, d. 23. de Inst. n. 144.

2. Illud profectò, quod ex Bartolo assertit Diana, p. 8. tr. 6. res. 16. sine approbare non possum, quod scilicet, si Rectores hoc anno Civitatem gubernantes, non remunerati sunt obsequium Universitati factum ab aliquo, nequeant Rectores anni sequentis remunerari, quia remuneratio (inquit Bartol.) est personalis ex parte remunerantis. Approbare, inquam, non possum, nam Rectores sive huius, sive alterius anni non agunt nomine proprio, sed nomine Universitatis, seu Civitatis, quæ semper est, & remanet eadem persona motalis, &c.

§. III. Parentes.

1. Parentes, quamvis multos habeant filios, licet ea possunt donare, quæ pertinent ad decentiam sui status. Si verò ea, quæ ad eiusmodi decentiam non pertinent, profusè donent, valide donant, quia disponunt de re sua, sed illicite, si notabiliter damnum faciant legitimis filiorum. Valide, inquam, donec filii revocent, nam filios possè donationes Parentum in suæ legitimæ præiudicium factas irritare per Iudices post Parentum mortem, mihi certum est, & videri potest apud Rebell. p. 2. lib. 13. quæst. 1. n. 1. atque lib. 5. in Dec. c. 4. §. 1. n. 2.

2. Quando donationem facit Pater Filio Clerico in fraudem Gabellarum, probat ibidem Diana, p. 2. tr. 6. res. 130. adhuc Gabellam d. beri, sed deinde questionem irresolutam relinquit. Ego sanè in memoriam tibi revoco, nemini debere hanc fraudem in foro interno suffragari, nam in foro externo, cum dictum fraudis non præsumatur, evincas litem contra Gabellarios. Quod si Pater verè, & sine fallacia ex occasione quidem non solvendi Gabellam, sed ex alio decenti motivo, suum Clerico patrimonium assignet, non mihi videtur, esse condemnandus.

3. Quid de donatione Patris facta Filio ad ordines

suscipiendos? Id hic solum quero, nam eternum de donatione, quam Pater, vel Mater faciat Filio universaliter, lib. 5. in Decalog. cap. 4. §. 2. dictum est.

Respondeo, Pater non solum validè potest, sed etiam obligatur dare filio, quod est necessarium ad assumendos Ordines Sacros. Intellige semper, si suppetant Patri facultates, &c. An item ad Ordines Minores, & alia minora eruditè tractet, Cutelli t. 1. de Donat. disc. 2. partic. 12. num. 12. Data autem à Patre in patrimonium, ut Filius Ordines suscipiat, multi apud eundem Cutelli dicunt, computari in legitimam, & venire in computationem cum aliis fratribus. Multi apud eundem negant. Utrumque probabile, id, quod nos satis explicuimus, lib. 5. in dec. c. 4. §. 2. n. 6. videri possunt Doctores apud Dianam p. 8. tr. 6. res. 92.

4. Donatio facta à Patre, ut item à quocunque alio facta, filio, vel cuicunque alteri facta, hoc est, ut sequuta ordinatione non petantur sic donata, vel, ut illa ordinatus restituere teneatur, adhibita etiam, ut solet, Antapoca, vel ut vocare consuevit, Albero, quatenus invalida sit, & illicita, dixi supra, lib. 7. de Ordine cap. 3. §. 3.

§. IV. Prælati, sive Sæculares, sive Regulares.

1. Prælati Sæculares possunt, iuxta prædicta, donare quæ faciunt ad decentiam status ipsorum. Verum, de his dictum est à nobis lib. 8. in Decal. tract. 1. c. 2. §. 4. num. 2.

Et hi quidem Prælati Sæculares de fructibus sui beneficii magis libere possunt disponere, iuxta id, quod ibidem breviter explicuimus, quam Prælati Regulares, id est, Superiores Religiosorum, quia fructus omnes sunt Religioni, non verò ipsius Regularis Prælato. Quare magis moderatè se gerere ij debent in iis donationibus, præsertim liberalibus, quæ religiosam paupertatem minus deorant. Qui de his distinctius quid noscere velit, legat Sanch. 7. summa. c. 19. n. 42. Suar. t. 4. de Relig. tr. 2. l. 2. c. 26. d. n. 82. Vadian. apud Dianam p. 8. tr. 6. res. 12. Delugo d. 3. de Inst. a. n. 183. aliisque.

2. Dixi (Superiores Religiosorum) nam de Episcopis assumptis à Religionibus, quæstio est, an ij possint, quavis illicite, valide tamen donare ea, quæ supersunt ad ipsorum congruam sustentationem. Et quidem non pauci dicunt, hos semper donare posse prædicta, quæ supersunt, tum illicite, tum invalide. Alii verò sustinent, illicite, quidem, sed valide, eodem prorsus modo, quo l. c. diximus de Episcopis non assumptis à Religionibus. Quoniam verò utramque ex his sententiis probabilem existimamus, satis sit sic innuisse, Rationes enim, & Doctores pro utraque parte videri poterunt apud Dianam pars. 8. tr. 6. res. 132. & 133. citantem Vadianum, idem de Beneficiario Religioso sentientem.

§. V. Donatio Beneficiarii spolio subditi.

1. AN Donatio Episcopi, & Clerici Beneficiarii subditi spolio intra viginti dies ante obitum suum facta sit invalida?

Respondeo, esse invalidam in foro externo, cum Bonac. aliisque mox citandis, quia præsumitur facta in fraudem. At in foro interno cum eodem Bonac. d. 3. de contr. q. ult. p. 5. n. 5. & Diana p. 8. tract. 6. res. 88. l. dico, esse validam, si verè fuit donatio inter vivos de rebus, seu de fructibus suis, de quibus iuxta supradicta disponere valide Beneficiarius poterat. Ratio est manifesta, quia Beneficiarius tunc habet potestatem transferendi dominium illarum rerum in alterum, & de facto per illam donationem verè, & sine dolo, ut supponimus, transtulit.

§. VI. Novitius.

1. **A**N Donatio causa mortis facta à Novitio post ingressum in Novitium sine licentia Episcopi sit valida?

Respondeo, esse validam, quia Tridentinum, *sess. 25. c. 16. Diana p. 8. tr. 6. ref. 86.* ibique alii hanc licentiam requirunt in donatione inter vivos dumtaxat.

2. An, ut donatio remuneratoria ab eodem Novitio post dictum ingressum fiat, eadem licentia indigeat?

Respondeo, non indigere. Ita idem *ibid. ref. 121.* quia Tridentinum loquitur de donatione pura.

3. An donatio facta ab aliquo ante ingressum in Novitium, animo ingrediendi in Religionem, sit valida sine memorata licentia?

Respondeo, esse validam. Ita idem *ibid. ref. 87.* quia dictum Tridentinum loquitur solum de donatione Novitii, hic Novitius nondum est.

4. Nota, si prædictus Novitius exeat à Religione, nullam esse donationem ante ejusmodi ingressum factam, resque donatas debere redire ad donantem, quia donatio facta intuitu Religionis, semper imbibit conditionem: *Si in Religione vixerit.* Unde idem rectè Cutelli, *de Donat. t. 1. disc. 2. p. 3. à num. 11.* Latè Sanch. *l. 7. summ. cap. 5. à n. 54.* extendit ad casum, quo ipse donans exeat à Religione post professionem emissam, quam nullam ex aliquo legitimo capite fortè invenit. Si verò exeat post Professionem validam licet per dispensationem Papæ, v.g. An recuperet prædicta bona ante ingressum donata, longa est, & Iurisperitorum propria disputatio. Vide Cutellum citatum, apud quem etiam invenies quid de exeunte à Societate, post vota biennii.

§. VII. Tutores, & Curatores.

1. **T**utores, & Curatores, ex Sanch. *cap. 8. consil. c. 6. d. 8. Delugo d. 23. de Iust. num. 145. Mol. d. 292.* sine aliisque, possunt solum id donare, quod ad prudentiam, & decentem administrationem rerum pupilli pertinet, spectata ipsorum pupillorum facultate, & qualitate. Unde donationes liberales, profanas vix his concedo, concedo pias; Sane enim hæc in elemosinam, atque adeo in bonum salutis pupillorum, sed adhuc iuxta ipsorum statum.

Nec item nego remuneratorias, sed pari modo, quæ non multum excedant. Ratio horum est, quia Tutores, Curatoresque minus possunt, quam Domini suarum rerum; at Domini, si prudenter, & decenter agant, sunt certè parçe profusi in rebus suis; ergo parcius profusi esse debent Tutores, & Curatores, qui Domini non sunt, sed meri bonorum pupilli administratores.

2. Inquires: Cum remuneratoria donatio sit illa, quæ sit supra debitum Iustitiæ, quantumnam hæc importat in hoc casu tutorum? Servivit, v.g. fideliter quis pupillo per decem annos, debentur ipsi ex stipendio pro suo labore centum aurei: at si Tutor solum daret centum, nihil daret ex gratitudine, sed solum ex Iustitia. Inquires ergo, ad quantum extendi potest remuneratio?

3. Respondeo: Id certa regula definiri nequit, quia totum hoc (ait Delugo, *loc. cit.*) pertinet ad prudentiam administratores rerum pupilli, ut ex una parte non sit nimis profusus, & ex alia non sit durus, & exactus retributor obsequiorum, sed attendat ad id, quod decentia status pupilli exigit, ut cum famuli ingratitude nota afficere non possint.

CAPVT IV.

Quantum quis donare possit.

1. **P**ræscindendo à Iure Civili, quod certè prohibet, ut mox dicemus, aliquas donationes, quilibet va-

lidè potest totum, quod habet, alteri donare, quia nulli de rebus suis disponere, ut libet, potest. An vero sibi, vel alteri facit, vel non facit, sic donando, &c. quæ dictis, & dicendis facile colligi possunt. At considerandum commune, duo genera donationum ipsam naturam saliter prohibet, nimirum donationem omnium bonorum, & donationes carentes insinuatione, de quibus iam sigillatim.

§. I. Donatio omnium bonorum invalida est.

1. **H**anc tam amplam donationem esse in Iure Civili esse invalidam, certum est in Iure, & *Stipulat. hoc modo.* apud Iulium Clar. *v. donat. g. 19. Rebell. part. 2. l. 1. h. 1. Mol. d. 280. Bonac. d. 3. de contract. g. 13. f. 5. Diana, p. 1. tr. 6. ref. 38.* aliisque. Ratio huiusmodi Iuris, fuit, quia sic donator non possit testari, à qua impotentia testandi Iura maxime abhorrent, signatæque dicunt, esse id contra bonos mores.

2. Dictum autem est (*inter vivos*) nam donatio omnium bonorum causa mortis prohibita non est, quia potestatem testandi non tollit, immò ipsam esse voluntatem, nuper diximus.

3. Dictum rursum est (*in jure communi*) nam leges proprias quilibet consulat. Dictum item est (*omnium bonorum*) nam, si sit non omnium, sed tamen prodigatæ Iuris, *l. 3. in Dec. c. 3. §. 5. à num. 17.*

4. Quæres: Donatio bonorum omnium, etiam invalida secundum totum, an solum secundum partem? Explico, Fac, te donasse omnia tua bona, ex quibus, si centum aureos, tibi reservasses, jam non donasses omnia bona. Quæro igitur, an donatio omnium, quæ scilicet, sit invalida, tum quoad hos aureos centum, tum, quoad alia bona? Idem quæri potest, si donati omnia præsentia, & futura, an valeat etiam quoad præsentia, jam enim, si præsentia non donasses, non donasses omnia.

5. Respondeo, esse invalidam, quoad utroque. Rationem hujus Decisionis ne aliam expectes, nisi illam, quia nimirum, ita leges voluerit, propter bonum publicum. Ita autem voluerit, quia absolute totam donationem indivisibiliter infirmant, ut patet accurate legum præcætas leges.

6. Dices: At mox dicemus, donationem factam sine solemnitate insinuationis solum infirmari, quoad partem, id est, quoad excessum, eo modo, quo mox item explicabimus; ergo pari modo dicere debemus in donatione omnium bonorum.

7. Respondeo: Nego consequentiam, quia in donatione sine dicta solemnitate ita clare decreverunt leges, quod non ita decreverunt in donatione omnium bonorum, *l. Sancimus, C. de Donatione*, leges enim modo memoratæ absolute, & omnino donationem omnium bonorum infirmarunt.

8. Dices iterum cum Diana *loc. cit.* Ex Regula Iuris: *Vtile per inutile non vitiatur.* Ergo non vitatur illa pars donationis: quæ jam non est donatio omnium bonorum.

Respondeo: Nego consequentiam, quia cum in nostro leges totam donationem irritant, ut dictum est, neque illa pars dicta utilis est.

§. II. Quatuor Casus, in quibus Donatio omnium bonorum valida est.

1. **P**ræcedentis doctrinæ sunt exceptiones, seu declarationes quatuor. Primum enim, si quis donet omnia bona præsentia, nihil aliud addendo, valde donat, quia verè non donat omnia; cum enim non donet futura, & deinceps acquirenda, potest de his testari. Nam propterea idem docent communiter Doctores, si in do-